

perfulus, perfundensque suavissima notitiae suae fragrantia omnes mundi plagas. Accedit Antonii Nebriffensis in Quinquagena c. 18. existimatio; qui putat electrum esse aurichalcum, & aurichalcum nihil aliud quam masculum thus miri odoris. Neque obstat, imo potius mysterio consonat, quod illa Dei hominis imago dicatur esse ignita: nam in imaginaria hac visione concipi debet thuris materia igni immersa gratum affans odorem, quin in suffitum solvatur. Quod pulchre veniunt illa Salomonis verba Sap. 7. 25. ubi de Incarnata Sapiencia, Vapor est virtutis Dei. Graece atmos, vel atmos; id est, suffitus, vel fumus est virtutis Dei; suffitus planè rerum odoriferarum, ut thuris, myrrhae, & aliorum aromatum. Et in Christum melius cadit illud de Simone Oniae filio Sacerdote magno Ecclesi. 50. Sicut ignis resurgens, & thus ardens in igne. Graecè; ut ignis, & thus super ignitionem. Accedit etiam noster Prado nobilissimus illius visionis elucidator, qui existimat, vectum in eo curruante thronum focum ignis, quasi altare thymiamatis. Ex his ergo dilucide constat, Christum ibi praemonstratum, qualis post Incarnationem apparuit, totum Divinitate & uberrima gratia, quasi fragrantissimo unguento, perfusus; totum odoriferum, qui totum compleat universum gratissima Nominis, & famae suae fragrantia, quasi thus, & quodvis aliud thymiamata igni immersum. Quod praestitit praestatur abundè medià Apostolorum, virorumque Apostolicorum praedicatione. De qua Paulus 2. ad Cor. 2. 14. Odorem notitia sua manifestat per nos Deus in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo.

Nebriffens.

Aurichalcum thus masculum.

Sapi. 7. 25.

Ecclesi. 50.

2. Cor. 2. 14.

Virgo Mater thuribulum aureum.

Altare thymiamatis.

1966 Lux abundè conciliatur & huic interpretationi, & instituto nostro, ex sponse verbis Cant. 1. 2. ubi suum sanguinis sponsum è cruce pendentem sic alloquitur: Oleum effusum nomen tuum. Vertunt LXX. Graeci Patres, & ex Latinis nonnulli; oleum exinanitum nomen tuum. Est enim vox exinanitum à verbo exinavi, quo Paulus usus est ad Philip. 2. 7. ubi hanc explicat olei exinanitionem de Christo passo. Exinavit semetipsum (Graecè evacuavit, Tertullianus exhausit) formam servi accipiens. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Fuit hoc oleum, seu unguentum suavissimum, tot saeculis in sinu Parisi inclusum, per Incarnationem effusum in uterum virginem; sed ibi rursus inclusum in alabastro humani corporis, unde aliquem sparsit odorem, sed exiguum & intra limites Synagogae. Postquam verò ad Crucis stipitem contritum est vasculum, effusum dicitur, & exinanitum unguentum, quod odore divinae famae terras omnes perfudit. Sic nomen Christi (id est ejus notitiae) effusum dicitur. Unde praestata sponsae verba ita Chaldaeus extulit: Et nomen tuum sanctum auditum est in universa terra, quod est electum magis quam oleum unctio- nis, quo unguuntur capita Sacerdotum. Sed longè luculentius Theodoretus ad c. 1. Cant. v. 2. Non unguentum simpliciter, sed effusum, dixit Sponsa. Quemadmodum enim unguentum in vase inclusum, inclusam continet & ipsam odoris fragrantiam; sic autem effundatur, ipsum quoque aërem replet: sic Dominus Christus, ante passionem paucis notus erat; at postquam Crucem, mortemque sustinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuo odoris suavitate mundus universus completus est. Similia habet Philo Carpathius, & S. Bernard. Ser. 21. & 22. in Cantica.

SECTIO XLVIII.

A Christo crucifixo jucundissima Dominica famae fragrantia quoquoersus diffusa.

1964 Univerfa illa aromata, à Siracide Jesu in exemplum adducta, ad designandam celeberrimam corporati Dei famam toto orbe diffusam, amara sunt, & eò amariora quò fragrantiora. Ut enim Theophrast. lib. 6. de causis plantar. Odorata amara sunt: cum verò illa duo contraria inter se sint, dulces atque amarum; alterum veluti initium grati saporis, alterum grati odoris esse videatur, & quodammodo magis primordium dixerim grati odoris. Etenim bonus Christi odor tunc praesertim longius latiusque spatium coepit, cum in Cruce amaritudinibus fuit repletus; afflant enim tormenta illa, dolores, probra, angustiae, vulnera, morsque ipsa gratissimam fragrantiam, cujus suavitate Notiones omnes mirificè recreatae ad Christianae Ecclesiae gremium avolarunt.

Odorata amara sunt. Theoph.

1965 Effudit olim Maria Magdalena super caput, & pedes Jesu, unguentum Nardinum, pisticum, pretiosum, fracto interim vase alabastrae, in quo asservabatur. Effusum un-

guentum replevit illicò magnitudine fragrantiae suae totam domum: & domus repleta est ex odore unguenti. Joan. 12. 3. Quorsum haec? Certè unctio illa Dominicae mortis praesagium extitit & signum, ut ipse mundi Magister explicuit Matth. 26. 13. Effusum unguentum ex fracto alabastro praesignabat copiosissimam illam, odoratissimamque divini Nominis & famae effusionem, qua orbis universus perfusus est, post Christi passionem tantopere contriti ac divexati. Nissenum audi Hom. 3. in Cantica. Mibi videtur propheticò quodam spiritu per unguentum significasse Mulier mortis mysterium, quomodo iis, quae ab ipsa dicuntur, fert Dominus testimonium, dicens: Praeoccupavit ad me sepeliendum. Domum autem bono odore repletam pro toto Mundo, & universo orbe terrarum aamonet esse intelligendum; dicens: Ubiunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, odor unguenti similibus distribuetur cum praedicatione Evangelii.

Joan. n. 3. Quid fractum alabastro unguenti à Magdalena portaverit.

S. Nissen.

Cant. 1. 2. Oleum exinanitum nomen tuum. Christum crucifixum. Philip. 2. 7.

Chaldaeus

Theod.

1966 Lux abundè conciliatur & huic interpretationi, & instituto nostro, ex sponse verbis Cant. 1. 2. ubi suum sanguinis sponsum è cruce pendentem sic alloquitur: Oleum effusum nomen tuum. Vertunt LXX. Graeci Patres, & ex Latinis nonnulli; oleum exinanitum nomen tuum. Est enim vox exinanitum à verbo exinavi, quo Paulus usus est ad Philip. 2. 7. ubi hanc explicat olei exinanitionem de Christo passo. Exinavit semetipsum (Graecè evacuavit, Tertullianus exhausit) formam servi accipiens. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Fuit hoc oleum, seu unguentum suavissimum, tot saeculis in sinu Parisi inclusum, per Incarnationem effusum in uterum virginem; sed ibi rursus inclusum in alabastro humani corporis, unde aliquem sparsit odorem, sed exiguum & intra limites Synagogae. Postquam verò ad Crucis stipitem contritum est vasculum, effusum dicitur, & exinanitum unguentum, quod odore divinae famae terras omnes perfudit. Sic nomen Christi (id est ejus notitiae) effusum dicitur. Unde praestata sponsae verba ita Chaldaeus extulit: Et nomen tuum sanctum auditum est in universa terra, quod est electum magis quam oleum unctio- nis, quo unguuntur capita Sacerdotum. Sed longè luculentius Theodoretus ad c. 1. Cant. v. 2. Non unguentum simpliciter, sed effusum, dixit Sponsa. Quemadmodum enim unguentum in vase inclusum, inclusam continet & ipsam odoris fragrantiam; sic autem effundatur, ipsum quoque aërem replet: sic Dominus Christus, ante passionem paucis notus erat; at postquam Crucem, mortemque sustinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuo odoris suavitate mundus universus completus est. Similia habet Philo Carpathius, & S. Bernard. Ser. 21. & 22. in Cantica.

1967 Praevitit Isaias c. 52. 14. Christum Isai. 52. 14. Dominum è Crucis patibulo suspensum, omnium ludibrio, & sibilis expositum, & obscura illa protulit verba: Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas. Pro cujus vaticinii enucleatione, observo cum Forerio; Primò, verbum Hebraeum samam, quod respondet rō stupuerunt, etfi aliquando in sacris litteris accipitur in bonam partem, nempe pro admirari rem excellentem, frequentius tamen in malam

Christus in Cruce unctus & unguenti odore suo omnia ad se trahens.

malam partem capi. Unde legenda putat Isaiæ verba; sicut sibilaverunt super te multi. Deinde, idem Auctor, & Hebraei, quod Vulgatus vertit inglorius, alii corruptus aspectus, & est H. maschit; ipsi legunt mischat, id est, unctio à verbo mesach, id est, ungo. Denique observat particulam sic posse hic reddi, quanto magis, tanto magis. Ut Exo. 1. juxta Hebraeum: sicut affligebantur, sic multiplicabantur, id est, ut noster Vulgatus transtulit: Quanto magis affligebantur, tanto magis multiplicabantur. His positis, sic commodè efferas Isaiæ praedictionem: Quanto magis sibilaverunt super te multi, vel contempserunt te, tanto magis, vel eò major erit unctio, seu unguentum aspectus ejus pra viris. Quasi dicat (ait Forerius,) Quemadmodum multi super Christum obstupuerunt, seu sibilaverunt, videntes Crucis ignominiam, sic unctio aspectus ejus erit pra aliis; ut sit quod Pl. 44. legitur: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae pra confortibus tuis. Vel clarius ad institutum nostrum explicabis: Quam magis Rex Messias ob Crucis ignominiam, ob despicabilem vultus formam, sputis & alapis impiorum, fusique sanguinis asperione saedatam, omnium ludibrio & sibilis fuit expositus; à multis afflatus, derelictus, & odio habitus; tanto magis hujusmodi forma innumeris aliis ita pulchra apparebit, decora, amœna, odoratissima, ut in patibulo suspensus omnem omnium creaturarum pulchritudinem superare videatur. Quid mirum? Quandoquidem Crucis affixus copiosissima divinitatis, & gratiarum omnium unctioe se imbutum demonstravit; dum unguentum illud ibidem effusum miram, exinamque ex se spirat fragrantiam, quae totum orbem perfundit. Ideò subtextit Vates: Iste asperget gentes multas. Hebraicè nazab doctis Hebraeorum fluxum affert, & copiam: & ad copiosam unguenti illius effusionem, & odoris copiam referri poterit, quo allecæ Nationes ad Christum fluxere. Unde alii legunt: Iste fluere faciet ad se gentes multas. Quod sponsa dicebat: Trabe me: post te curtemus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Et sponsus ipse apud Joan. 12. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: copiosa illa quidem è Cruce effusione unguenti & odoris notitiae suae. 1968 Subit hinc Altare illud thymiamatis, sic appellatum, qua in eo quotidie varia mixti odoris cremabantur aromata, quae Deo adolebantur. Crucem Domini hoc altari praefiguratam, multi ex Patribus censent. In ea quippe incarnatum Verbum se ipsum obtulit Patri, quasi odoratissimum thymiamata, igni charitatis immersum. Et quò majora ibi dedit ignitæ dilectionis argumenta, eò major exiit fragrantiae suavitatis, & odor notitiae divinae latius se extendit. Hinc Paulus ad Ephes. 5. 2. de Christo crucifixo cum inquit ad sacrificium thymiamatis, aiebat: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Graecè, in odorem redolentiae. S. Hier. praefat. in Zach. bona fragrantiae. Ut verò hoc bonae fragrantiae sacrificium quoquò versus suum diffunderet odorem, voluit Christus extra portam pati, ut idem observat Apostolus ad Hebrae. 13. 12. Rationem exhibet S. Leo Ser. 8. de Passione: Christus, ait, non in templo, nec intra septa civitatis, sed foris, & extra castra crucifixus est;

nnwb

nnwb

Cant. 1. 3.

Joan. 12. 32.

Exo. 30.

Cruce Christi altare thymiamatis, à quo odor notitiae divinae.

Ephes. 5. 2.

S. Leo.

ut crux Christi non templi esset ara, sed mundi. 1969 Huc advoco ostensum illud Isaiæ spectrum c. 6. Vidit altare thymiamatis ignis prunis plenum. Vidit Dominum super solum magnificum, multis stipatum pennatis Seraphinis, canentibus atque ingeminantibus, Sanctus, sanctus, sanctus. Vix hæc voces resonarunt; cum ecce tibi commota sunt superliminaria cardinum. Vel, ut LXX. vertunt: elevatum est superliminare; ut nempe ostium fieret majus Deo magno per id exituro. Quasi fastidiret jam templi & Jerosolymæ angustias, & laxiores aedes, totum scilicet orbem, ad habitandum quaereret. Unde Vates subdit: Plena est omnis terra gloria ejus. Gloria autem, ut desiniunt Theologi cum S. Thoma, notitia est clara cum laude. Quorsum haec? Certè ut portendatur Judaeorum reprobatio, & clara Christi notitia, & fama, extra Synagogæ terminos, per universas mundi nationes spatianda. Expende, quæso, qua id ratione factum. Ascendit Christus Crucis patibulum, quam Isaias vocat solum excelsum & elevatum, juxta multorum Patrum mentem. In ea Jesum Vates praevitit suffixum, contemptissimum, vulneribus lividum, quomodo describit c. 53. adeò clarè & planè, ut non Prophetam, sed Evangelistam agat. Hanc Crucis ignominiam ab Isaiâ inspectam appellat Joannes c. 12. 41. Christi gloriam: Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus. Imò implet Joannes, dum Christum in Cruce morientem à se visum testatur, aiebat, (sic interpretante Chryf.) Vidimus gloriam ejus, id est, mortem ejus. Quæ quidem gloriosa Christo extitit, cum per illam ejus nomen & fama ubique gentium innotuerit clara cum laude. Ut autem designetur, hanc Christi oblationem fuisse bonae fragrantiae, totum orbem summâ jucunditate perfundentis, præ oculis ipse crucifixus Jesus habere dicitur altare thymiamatis ignitis carbonibus plenum. Quasi ipse è Cruce pendens ad instar fuerit odoratissimi thymiamatis igni amoris immerfi, & suavissimo divinae notitiae odore omnes mundi plagas suffumigantis. Quò spectat Germanus Const. orat. 2. de Adorat. Crucis, ubi per altare illud Isaiæ ostensum designari putat Christi Crucem: Te credimus esse altare illud Agni divini in carbonibus conversum. Quid enim est carbo nisi lignum undique accensum, & ignitum? Ignis enim impassibilis divinitatis Agni in Cruce immolati, altare illud in carbonem sine exustione vertit. 1970 Hinc est, quod Seraphinis illis sex Seraphinis alas habentibus, atque in formam crucis volantibus (ut idem Germanus observat) bellissimè adumbrentur Apostoli, virique Apostolici, qui cum Paulo 1. Cor. 2. 2. dicere possunt: Non judicavi me scire aliquid, nisi Je- sum Christum, & hunc crucifixum. Et 1. ad 1. Cor. 1. 23. Nos autem praedicamus Christum crucifixum. Et ad Galat. 2. 19. Christo confixus sum Crucis. Si enim Evangelici Praedicatorum vitae sanctimoniam, tum praedicatione ipsa Christum referant crucifixum, peropportuni erunt, ut crucifixus Jesus odorem notitiae suae manifestet per illos in omni loco. 2. Cor. 2. 14. Vasa electionis erunt, ut portent nomen Domini coram Gentibus: nomen quidem quasi unguentum in Cruce effusum, & iterum in ipsis inclusum, ut sapientius effundatur, ejusque fragrantia ubique spargatur. Rectè proinde S. Ambr. de S. Ambr. Elia & jejunio c. 10. & in c. 7. in Lucam. Si quis praedicet Jesum Christum crucifixum, in omnem Eccle-

Isaiæ 6.

visum ab Isaiâ altare thymiamatis.

Joan. 12. 41.

Germanus

Seraphinis cruciformes Evangelicè praedicatorum odorem notitiae divinae portant.

1. Cor. 1. 23.

S. Ambr.